



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quinam Episcopi, seu Prælati administrare possint Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ca pravitas non intervenit, ut, si talis intervenit, causa tota (Ecclesie notitia) ad Pontificem referatur: quæ omnia statuit Pontifex in *c. quamvis* 10. *h. t. in 6.* ita ut in eos, qui hæc non observant, certa etiam pœna decernatur, in *c. providè* 44. *h. t. in 6.*

§. III.

Quanam jure Canonico statuta sunt ad moderandas oppositiones, & appellationes, in causis electionis, & provisionis beneficiorum?

Quæ tam hoc, quam sequentibus duobus §§. ab auctore Methodi dicuntur, rectius apud ipsam Auctorem videri possunt (cùm horum §§. materia locum ferè tantum habeat in causa appellationis ad Papam, & consequenter rarè praxis sit, ac ex decisione Pontificum, in pluribus *co. h. t. in 6.* tradita, dependeat, quæ per brevem & succinctam Doctrinam insinuari non possunt) legatur *c. 1. 4. 11. 19. 20. 38. & 41. h. t. in 6. & Clement. 4. eod.*

SECTIO VII.

De potestate, confirmatione, & consecratione Electi.

§. I.

An, & quando potestas jurisdictionis, seu administrationis Episcopo electo competat?

Quod Episcopus vel Prælati electus ante impetratam confirmationem non habeat potestatem jurisdictionis, aut administrationis, nec in rebus, aut juribus spiritualibus, nec in temporalibus ex

c. nisi 9. *h. t.* patet (ut ne inanis ferè sit confirmatio, si ante hanc omnis jurisdictionis, aut administratio in actu secundo Electo competat) ita ut, si ante confirmationem obtentam administrationi rerum Ecclesie se ultro immisceat, ejus electio in pœnam non tantum cassari debeat, ut ait Pontifex, in *c. qualiter* 17. *h. t.* neque hoc ipsi liceat sub tit. Oeconomi, aut Procuratoris, &c. uti constat ex *c. araritia* 5. *h. t. in 6.* & quamvis Capitulum, penes quod est administratio, sede vacante, possit alicui velut Oeconomo, aut vicario committere administrationem non tamè potest eam committere electo, ne fraus fiat huic constitutioni: quin ex *Extravag. 1. h. t. inter com.* etiam statuit Pontifex, ut nullus Episcopus, aut superior Prælati, nullus Abbas, aut cujusvis ordinis Præpositus, qui apud sedem Apostolicam promovendus, confirmandus, aut consecrandus, aut benedicendus est, administrationem temerariè præsumptione suscipiat, nisi litteras Apostolicas promotionem ejus, vel confirmationem, &c. continentes, obtinuerit, easque Capitulo ostenderit, seu præsentaverit.

§. II.

Quanam Episcopi seu Prælati administrare possint Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem?

Quæ in priore §. negatur administratio cuivis electo Episcopo ante obtentam confirmationem, aut suæ provisionis litteras, hæc in *c. nihil* 44. §. *ceterum* *h. t.* conceditur immediatè Pontifici subjectis Prælati, & tamen valdè à Curiâ Pontificis remotis; qui extra Italiam

ham v. g. constituti sunt, si in concordia fuerunt electi; ne damnum scilicet patiantur Ecclesie tales, si diutius expectari debeat electionis v. g. confirmatio: & quamvis hæc constitutio tantum mentionem faciat de Prælati inmediate sedi Apostolicæ subjectis, probabile tamen est, quod in favorem Ecclesiarum, etiam de illis Prælati intelligenda sit, quæ ab Episcopo quidem, aut Archiepiscopo confirmationem obtinere debent, ob longam tamen distantiam intra breve tempus obtinere non possunt. Quod si tamen electio illius, qui ante obitum confirmationem administravit vi hujus *c. Nihil*, ob vitium aliquod rescindatur, censeri tamen debent omnia ab ipso ante rescissionem facta valida, eò ipso enim quod electio talis non fuerit ipso jure irrita, & validè electio in casu *c. Nihil*. administratio etiam ante confirmationem concessa sit, consequenter ipso jure valida erunt ab eo facta. Conceditur tamen his omnibus administratio sub ea limitatione, ut nihil de rebus Ecclesie alienare possint, per quod bona Prælatu- ræ diminuerentur; & secundò conceditur hoc Prælati ultramontanis in concordia electis, non tamen postulatis antequam postulatio admissa fuit, quamvis malum à curia absint, & in concordia postulati fuerint, cum postulato ante postulationis admissionem nullum absolute jus competat ad Prælatu- ram talem, ut ex dictis patet.

§. III.

De Confirmatione Episcopi, seu Prælati Electi.

Certum est quod omnes Prælati Canonice Electi ad Prælatu- ram Eccle-

sie viduata à superiore confirmari debeant *c. postquam 3. h. t.* ad cavendum omnem defectum, qui fortassis intervenire potuit, ita tamen, ut si nullus defectus Canonicus intervenit in electione, confirmari debeat electus, & electio libera quidem sit, confirmatio tamen necessaria, quam legitime electus ex justitia etiam petere potest, & obtinere debet, nisi summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis ob majorem Ecclesie utilitatem etiam legitime electum reiciat, quod vi concordatorum Germaniæ etiam facere potest. Et quamvis de ordinatio jure confirmatio electi ad immediatum superiorem, cui Ecclesia vel dignitas electiva subiecta est, pertineat *c. cum dilectus 32. h. t.* in Germania tamen confirmatio Episcoporum, & Prælatorum exemptorum ad summum Pontificem, vi concordatorum Germaniæ spectat: est autem de jure communi antiquo ab electo (saltem per procuratorem) petenda confirmatio, intra tres menses à die consensus præstiti numerandos, ita ut jus omne amittat, quod per electionem acquisivit, si intra dictum tempus sine justo impedimento confirmationem non petiverit: hoc ipsum tamen tempus, intra quod petenda est confirmatio, jus novum in *c. cupientes. 16. h. t. in 6.* (quod etiam vi concordatorum observandum est) circa Cathedralis, & regulares vitorum Ecclesias inmediate sedi Apostolicæ subiectas, restrinxit, & limitavit magis, ut hodie petenda sit confirmatio infra unum mensem (iter saltem arripiendo Romam, vel Procuratorem sufficienter instructum mittendo) à die consensus in Electionem

nem